

De quibus oblatis Suae Celsitudini Caesareo Regiae Serenissimo Domino Archi-Duci Regni Palatino demissam Relationem faciendam Status et Ordines concluserunt; et cum spe firma ducantur, plures adhuc futuros, qui Patrioticum Offerentium Studium imitabuntur, inviatæ sunt Regnorum horum Jurisdictiones, ut subseque in sui Gremio faciendas Oblationes Excellentissimo Domini Comiti Bano fine præstandæ de his quoque Suae Celsitudini Caesareo-Regiæ Informationis referant.

Articulus Nonus.

De Facta Suae Majestati Sacratissimæ quoad quaerimonias Civitatis Segniensis Remonstratione.

Singularis Studii, quo Excellentissimus Dominus Comes Banus ducitur, ut Regna hæc, singulae eorundem integrantes Partes in Jurium, Libertatum et Privilegiorum Suorum usu illaesæ conserventur, Status et Ordines novum documentum acceperunt, dum ex iis, quæ in Conferentiis Banalibus sub decursu Comitiorum celebratis acta sunt, intellexerunt, quod Excellentissimus Dominus Comes Banus erga quaerimoniam a Civitate Segniensi medio Ablegati sui in eo positam, quod præfata Civitas ad errigendam in sui Gremio Norma pro Haereditariis Caesareo-Regiis Germanicis Ditionibus et Militaribus Communitatibus per Benignas Patentales defixa pro tutanda interna Securitate Urbanam Militiam per Supremam Armorum Praefecturam Varasino Carlostadiensem in sequelam Ordinum a Consilio Aulae Bellico dimissorum adstringatur, quodve praelibata Armorum Praefectura Jurisdictionis in Civitatem Segniensem usurpationem Motivo, quasi Civitati Segniensi qualitas Liberae Regiæque Civitatis nonnisi salva Jurisdictione Militari impertita foret, et eadem Civitas integram Confiniorum territorialem partem constitueret, sustinere contendat, in conformitate conclusi Conferentialis, suam Celsitudinem Caesareo Regiam Serenissimum Dominum Archi-Ducem Regni Palatinum exoraverit, ut cum nulla Postulata et Gravamina propter temporis arctitudinem in diaetalem pertractationem assummantur, adeoque gravamen quoque Civitatis Segniensis in Comitibus proponi non possit, quaerimoniae Civitatis Segniensis efficax et praesentaneum Remedium Benigna Interpositione sua procurare dignaretur.

Quantumvis in tantæ intermediationis sequelam clementissima Suae Majestatis Sacratissimæ assecuratio ratione ferendæ medellæ subsecuta fuerit; cum tamen Status et Ordines ex Novis Civitatis Segniensis Remonstrationibus observent, quod Commendans Militaris Segniae constitutus Magistratum ejatis Civitatis propter non communicatam Instructionem, quam Ablegatis suis Diaetalibus transmisit, in sequelam Ordinum a praelibata Armorum Praefectura acceptorum a Saliariis suspendere, ternis Magistratualibus Individuis poenam Arresti in Castello subeundi irrogare, modalitatem, qua Ablegatos elligere, et Instructionem pro iisdem elaborare debeat, praescribere, et exmissionem eorundem praepedire sustinuerit, quod Excellentissimi Domini Comitis Bani et Excelsæ quoque Cancellariae Hungaricae Interpositio medio Praesidialium Excellentissimi Domini Comitis Cancellarii ddo. 15. Januarii a. c. dimissarum insinuata successum tanto